

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**T. Lvcretii Cari, Libri Sex Nuper Emendati**

**Lucretius Carus, Titus**

**Venetiis, XII.1500**

**Landesbibliothek Oldenburg**

Shelf Mark: CIM II 238 C

Quae in libro sexto.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-861890](#)

Quæ in libro quinto.

Quod plus homini profuit sapientiæ inuentor, quam Ceres, liber, Hercules. Animā natuam esse. Mundū & natuum & mortalem esse. De solis & lunæ cursu. Mare, cælum, terram interitura esse. Animam & animam non posse sine corpore esse. Mundum non esse a diis constitutum. Diuisio terræ uel initium. Cui pars natuua sit, totum natuum esse. De terra, aqua, aere, siue anima. De igni, & sole. De lampade & lucerna. Quod ædificia itereat. Quare natuua omnia dicat. Quare æternitas esse possit. De phaethōte solis filio. De origine mūdi & omniū rerū. De ferro De solis & lunæ magnitudine, motu, & ortu. De solis magnitudine & calore. Democritus de sole. De lunæ cursu. Ex ida uisio solis. De die longo & nocte breui. De lunæ lumine. De anni temporibus. De solis & lunæ effectione. De nouitate rerum mundi, & de dispositione quæ in eo sunt. De centauris, scylla, chymæra, fluminib⁹ auriferis, hominibus miris De uita hominum qui degebant recenti orbe. De inuentione sermonis. Vnde datus ignis mortalib⁹. Quibus dabatur imperium. Vnde religio orta & timor superum. Quomodo aurum, argētum, plumbū, ferrum que reperta sint. Quomodo arma, bella, & musice inuenta. De prima agresti uita.

Quæ in libro sexto.

Qui p̄curationē mūdi diis attribuit, eisdē solicitudes cōstituit. De tonitru, & fulgure. Nubib⁹ semina ignita iesse. De fulmīe & eius natura & uirib⁹. Fulmina de crassiorib⁹ nubib⁹ alte gigni. De tonitrib⁹ & terræmotu. Autumno & uere magis fulmina & tonitrua fieri. Nubes quomodo concrescant. De imribus. De Arquu. De causa terræmotus. Quare mare maius non

**fiat.** De Aetna. De Nilo De lacu auerno. Cor  
nices athenis ad ædem Mineruæ non esse. In Sy-  
ria locum esse quadrupedes statim necantē. Cur aqua  
in puteis æstate frigidior. De fonte ammonis. In  
aqua tædā ardere. In mari fontē eē dulcem. De ma-  
gnete. Fluere ab omnibus rebus. Pestilentia unde  
creatur. De horrenda atheniensium pestilentia.



Lucretius, ut ex eius prologo conicio, Romanus fuit  
de quo Eusebitis

Olympiade 171 Titus Lucretius poeta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorē uersus, cum aliquot libros per interualla insaniæ conscripsisset, quos postea emendauit Cicero, propria se manu interfecit, anno ætatis quadragesimo tertio.

Donatus

Virgil. 17. annum agens sumpsit uirilem togā, quo die Lucretius decessit. Cn. Pōpeio magno, Marco Licio Crasso consulibus.

Ouidius.

Carmina diuinī tunc sunt peritura Lucretii.  
Exitio terras cum dabit una dies.

Quintilianus.

Nam Macer & Lucretius legendi, sed non ut phrasin idest ut corpus eloquentiæ faciant, Elegātes, in sua quisque materia, sed Alter humilis, Alter difficilis.

Idem

Nec philosophiæ ignara potest esse grammaticę, cum propter plurimos in omnibus fere carminib⁹ locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum uel propter Empedoclem in græcis, Varonem, ac Lucretium in latinis, qui præcepta sapientiæ ueribus tradiderunt.

Papinius.

Et docti furor arduus Lucretii.



.T.LVCRETII CARI DE RERVM  
NATVRA,  
LIBER PRIMVS.



Eneadum genitrix homi-  
num , diuum que uoluptas  
alma Venus, cæli subter la-  
bentia signa  
que mare nauigerum, quæ  
terræ frugiferenteis  
concelebras , per te quoni-  
am genus omne animantum  
concipitur, uisit que exortum lumina Solis ,  
te Dea te fugiunt uenti, te nubila cæli,  
aduentum que tuum, tibi suauetis dædala tellus  
submittit flores, tibi rident æquora ponti,  
placatum que nitet diffuso nunine cælum.  
Nam simulac species patefacta stiueuerna diei ,  
et reserata uiget genitabilis aura fauonii ,  
aeriae primum uolucres te diua, tuum que  
significant initum percussæ corda tua ui.  
Inde feræ pecudes persu ltant pabula læta,  
et rapidos tranant amneis, ita capta lepore  
te sequitur cupide , quo quanque inducere pergis.  
Denique per maria, ac monteis, fluuios que rapaceis ,  
frondiferas que domos auium, campos que uirenteis  
omnibus incutiens blandum per pectora amoreni  
efficis, ut cupide generatim secla propagent.  
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas ,  
nec sine te quicquam dias in luminis oras  
exoritur, neq; fit lætum, neque amabile quicquam ,  
te sociam studeo scribendis uersibus esse ,  
quos ego de rerum natura pangere conor  
Memmiadæ nostro, quem tu dea tempore in omni ,  
omnibus ornatum uoluisti excellere rebus.  
Quo magis æternum da dictis diua leporem ,

a.